

Rome, 25 Novembre 1600.

/ Admodum Illustris, et Reverendissime Domine. Gratulatio Cardina-  
 litiae dignitatis, et praedicatio laudum mearum, quas in literis  
 Amplitudinis vestrae legi, magnam mihi verecundiam ingesserunt. Nam  
 5 cum ipse plane noverim imperfectum meum, et qui longe absim tum à  
 merito Cardinalatus, tum à praeconio tantarum laudum, non potui,  
 fateor, non erubescere, cum à tanto viro tam mirifice commendari me  
 viderem. Sed hoc est proprium charitatis, ut de fratribus bona om-  
 nia credat, et exigua licet et infima magni pendat, ac praedicet:  
 quemadmodum contra, invidentia solet benefacta aliorum, quamvis m  
 10 magna extenuare, vel etiam omnino non credere. Nepotem vestrum ad-  
 huc non vidi, quòd per morbum, ut à audiavi, adhuc ei non licuerit  
 ad me venire. Cum venerit, amantissime, ut debeo, eum complectar.  
 Amplitudini autem vestrae, quicquid sum, et valeo, tametsi modicum  
 est, libenter offero; neque mihi rem gratiorem facere poterit, quàm  
 15 ut opera mea uti velit. Precor vero Deum, ut labores vestros pasto-  
 rales, quos gravissimos esse non dubito, gratia sua secundet in ter-  
 ris, et postmodum gloria sempiterna coronet in coelis. Sanctis pre-  
 cibus vestris ex animo me commendo. Romae die 25 novembris 1600.

Admodum ill<sup>ris</sup> et R<sup>mae</sup> D. V.

Addictissimus

20 Robertus Card. Bellarminus.

Archiepiscopo Leopolis.

F. B. 5, f.109. Brouillon autogr. Date en marge d'une autre main.

Fuligatti, Epist.famil., IX .